

[Threnetria]; in obitum
præmaturum atq[ue]
lamentabilem, pium tamen
et bea...

Tunander, Nicolaus Jonae,

1 Ic 1672 Breutigam, Michael



National Library
of Sweden

ΘΡΗΝΗΤΡΙΑΙ;

2

IN

OBITUM PRÆMATURUM ATQ;
LAMENTABLEM,

PIUM TAMEN ET BEATUM,

JUVENIS QVONDAM PRÆSTAN-
TISSIMI DOCTISSIMIq;

DN, MICHAELIS
Breutigams/

STUDIOSI ABOENSIS NOMINATISSIMI,
SUBITO ET INOPINO FATO DEFUNCTI;

A

BEATE DEMORTUI AMICIS,
PATRIBUS CIVIBUSq; ACADEMICIS,
ABO A VVIBURGUM, CUM RELIQVVIS,
FLENTES TRANSMISSÆ.

A B O Æ,

Impressæ à PETRO HANSONIO, Acad. Typog.



1672



Nfamant non patientiam solam, præcipuum Christianorum decus, sed universas pariter sanctissimi Nominis notas, qui sinistrum fatorum cursum in morte suorum, quam judicant immaturam, inculant. Meliori verò sapientiâ eruditi, ut ut jacturam tam caræ rei absq; desiderio omni negligenter non transmittant, obsequii tamen, cælesti dispositioni debiti, piè memores, hæc dicere habent satis; *Suum repetiit auctor & Dominus.* Ad eum modum dicturos speramus pios Parentes subito nobiscum defuncti Eximij Studiosi, Dn. MICHAELIS Breutigam/ sibiq; gratulatos, quòd filium habuerint eum, qui cum subito simul fato non sit subito extinctus, quem mediâ in morte à morte tuetur virtus præclara. Avarior certè justo est Parentum expectatio, cui hæc filii vita non satisfacit. Nos gloriâ spectatum, etiam annis maturum iudicantes, ut Dominum Breutigam viventem sincerè dileximus, ita mortuum debitâ hæc laude ornare voluimus.

NICOL. TUNANDER
Acad. h. a. Rector.

EPITAPHIUM

BEATI Dn. MICHAELIS Brudgum/
olim Studiosi Aboënsis ut præstantissimi,
ita mihi conjunctissimi:

Hæc Viborinus habet cineres Brudgumius urnâ,
Aonidum voluit qui pia castra sequi.
Mersit in Abodicâ juvenilia vota palude,
Perq; necatrices inscius ivit aquas;

Obtulit

Obtulit ast animam, biduo rediivus, amatam.

Christo, qui Sponsam deperit ipse suam.

Ergò qui transis umbrae fac verba silenti,

Qualia vis cineri sera venire tuo!

Positum ab
ENEVALDO SVEN.
Q. G. A. S. S. Th. D. Past.
& Prof. Prim.

Ornatissime Brwdgum!

Vixisti amabilis moribus, vitâ jucundus, ac in studio literarum indefessus. Dignus ergo fuisti, qui aliis in exemplum, diutius superesse deberes. Sed hanc sortem nobis subduxerunt fata, quæ te festinatâ promotione cœlis reddiderunt. Consoletur Deus mœstos tuos parentes, & Tu æternum benè vale!

Hoc testimonio auditorem ac amicum suum per dilectum ornat

P. Bång/ D. & Prof.

In pramaturum & luctuosum excessum juvenis Eximij,

Dn. MICHAELIS Brwdgunimes:

Cur vos o tristes, fleis sine fine, parentes?

Vos quoq; perchara, casta lepidaq; sorores?

Nam MICHAEL clarâ dicit jam carmina voce

Grata Deo, lucens cœli ceu fulgida stella.

L. Mq; deproperabat
AXELIUS KEMPE
L. L. Prof. Ord.

IN
Juvenem Literis & Virtutibus insignem,
DN. MICHAELEM BREUTIGAM,
Studiosum Aboensem, morte subitâ defunctum,
ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Credere si fas est, arsisse Deosq; Deasq;
Mortali cretum sanguine, mira vide!
Ambierant Musæ, Rex & demissus Olympo;
Crudum utrinq; gravi vulnus amore fuit.
Quàm Nymphæ Sponsum cupiunt, tam ducere Sponsam.
Nititur in thalamum cælica progenies.
Deniq; Fata viam pandunt, quâ victor Olympus
Anceps certamen sustulit, idq; brevi.
Raptus ut alter Atys subitò, quem prendere Sponsum
Musæ certabant, Sponsa corusca clouit.
Dumq; rei facies mutatur, plangere Musæ
Instituunt, clangens æthere Sponsus ova.

Festinus apposuit

PETRUS LAURBECCHIUS
Poëstos Prof. Ordinarius.

Tristia Parnassi mihi si memorare liceret
Fata, Noventarum quæ sunt turbata sororum,
Pulpita, quæ series jaceat perculsa sophorum,
Palladæ in horto, quem plantat Apollo sub Urâ
Mænalis, atq; Aboæ sacrum fovet ipsa Minerva;
Temperet à lacrymis quis, talia fando? Docentum
Est series mutata, vides; ea lumina gentis
Finnonica offuscata jacent, qua splendida quondam
Orbem illustrârunt doctum, vigilemq; juventam.

Artibus

Artibus imbuerant sacra: cur Sarmata nigra
Tristitia & luctus gestantes signa, profundè
Flevimus humanos casus, ludibria vite,
Quis est posteritas obnoxia tota parentis
Primi, qua primùm contraxit devius error.
Sic abière patres praeceptoresq; colendi!
Desijt at non ista lues hoc funere Patrum,
Sed savire instans in molli stammina vite,
Ingenijs portam furibunda praecipitat altis,
Musarum ut nequeant studiorum attingere metam.
Hac inter memorandus erit, spes unica Patris,
Eximius MICHAEL Brudgum/ quem turba Novena
Artibus Aonijs splendescere lampadis instar
Fecit, & intinctum voluit permessidor undis
Ingenij excelsus vigor, ut secreta sopherum,
Hic inter paucos unus penetraret; ut orbis
Stellarumq; vices, & quâ quaecunq; mearent
Astra poli legis formâ, cognosceret, atq;
Cogeret in numeros; studia ut leviora relinquerem.
Castalides igitur juvenis permesside lauro,
Vertice Parnassi, caput exornare parata
Inde brevi, at frustra: vigor iste extinctus, in umbras
Exsiliij corpus, sine nomine triste cadaver
Substituit: dura sunt hac molimina mortis!
Funeris hic sensus nobis mortalibus ergo
Non sine causâ auget luctus, duplicatq; priores.
Ast animû si quis, qua fors haec fata secuta est,
Dicere sustineat, mutato nomine Sponsus
In sponsam, sponso, cui tot sacraverat aras,
Tot retulit fidei cultus, sociatur amato,
Ut Thalamo Christi sponsus nova sponsa triumphet.

Si sic: singultus abeant, & luctus inanis!
Quis tibi, sponsa Dei, sanctorum gaudia cæli
Conjugiumq; novum, consortia læta beata &
Invidet? MICHAEL cælestis at incolæ sal. e!

Ita Commilitonis sui acutissimi ex Scholâ Mathemat. inopinatum abicum dolet, juxta ac novam in cælis lorrem gratulatur.

JOHANNES FLACHSENIUS
Mathem. P. P.

Vita hæc mors est, mors via in vitam; vitâ itaq; diu hic frui, est mortis diu sustinere tormenta. Hoc qui sollicitè perpendit, æquiori certè animo suos, modò citius, modo seriùs, à morte defalcari audit; imò, propria quoq; fata, benè peractæ vitæ conscius, placido vultu semper præstolatur. Præsens proinde mortalitatis qui intuemini exemplum, immodicum ponite mærorem, sistite singultus & lacrimas, commilitones, discipuli, agnati & cognati, parentes, vosq; Patres Academici! hoc unicum devotâ mente optantes, cum piè defuncto æternum illud Halleluja suavissimo concentu ingeminare aliquando posse, in cœlesti Academiâ cum ipso erudiri, amplexus & oscula in nunquam terminando gaudio invicem figere, totius universi conditorem & parentem facie ad faciem cum ipso intueri, & ibi deniq; Magistros salutari, candidis indutos vestibibus novam cantilenam, quam nemo mortalium addiscere potest, cantare. Nec perpetua illa naturæ lex, in hoc argumento, è memoriâ vobis excidat, Generari nempe & collabi.

Hæc pauca festino calamo exarata in piè defunctum docebunt animum.

SAMUELIS GULDENSTÄLPE /
Pol. Prof. Publ.

Τὸ μὲν ἡλεωτῆσαι πάσιων ἢ πεπωμένη κατέρχονε, τὸ δὲ καλῶς δια-
φανέν, ἴδιον εἰς σπευδαίοις ἢ φύσις ἀπένευμε. καλῶς δ' ἀποδύησθε
ὁ Διὸς τὴν παρ' εἶδα, ἢ εὐσέβειαν, ἢ Διὸς τῆς δόξης ἀρέγεσθαι καὶ
τῆς καλοκαρρίας ἀντιπικεῖσθαι τὸν σὺ, καίπερ τυχόντως, πέλων
βίον. Σὺ ἔν, ΜΙΧΑΗΛ Brudgum/ τῆς παιδείας ἀρεγόμενος,
ἐν τῷ Βελγίῳ κατέστησας τὴν σὺ Διόνειον, διαδοξάντων, καλῶς τὸν
βίον διετέλεσας. Πορεύεσθαι νῦν εἰς Ἀκαδημίαν ἐπιβάντων, Διὸς τὸ μὲν
δύνασθαι σε ἰκανῶς παιδεύεσθαι ἐν αὐτῇ τῇ ἡμετέρᾳ, ἔρρωσθαι.

ERICUS FALANDER
Græc, & Heb. P. P.

Castalides Musæ, jam carmina Mœsta canamus:
Nam cecidit MICHAEL, Musarum gloria magna,
Pallados & soboles, clarus phœbiq; satelles;
Unica spes Patris, blandæ Matrisq; voluptas.
Spiritus æthereis MICHAELIS carmina cantat,
Grata suo sponso, dulci modulamine mixta,
Sedibus; exuviæ saturentur pulvere terræ
Nigro, sed celebris volitat super æthera fama.

Hac Affini & amico suo in paucis charissimo, ac Musico quondam eximio, nunc verò inter calite, beato, pia condolentia & debiti honoris ergo, Gemebundus cecinit

JOHANNES G. SALMËNIUS
Facul. Phil. Adjunctus & Rector
Cantus Aboëns.

Lege,

Lege, si placet, Cordate Lector, hanc in Pagina,
Memoria
Optimorum Parentum beati Filij,
MICHAELIS CHRISTIERNI Breutigams/
Dicatum Epitaphium.

Qui postquam
Cum ipsis literarum honestissimarum studijs,
Cum sapientia contextu eidemq; innexis vinculis,
Cum divinatorum secretorum magnitudinis arcanis,
Reliqua,

Sinceram morum reſtitutionem ac elegantiam,
Præclaram vivendi rationem & ideam,
Candidiſſimum ſublimium virtutum genium,
Capisset combinare;

Statim.

Atatis Anno 26. reparati orbis 1672.
Ex parentum amplexu ac suorum neceſſitudine,
Ex amicorum omnium, quotquot fuere, conſpectu,
Ex Academia Aboënsis frequenti ſocietate,
Ubi jam ferè per ſex annorum ſpatia,
Prius tamen in Gymnaſio Viburgensi per quadriennium,
Suum illum.

Animi vigorem, magnis futurum negotijs parem,
Mentem æternitatis magis quàm ſeculi ſtudioſam,
Induſtriam ſupra vim annorum omnia tentantem,
Bonis ſingulis ac Doctioribus comprobabat:

Post.

Postquam,
De seculi turbis, & Cbao miseriarum,
De invidentium perfidia & inanibus censuris,
De acerbo mortis genere & infernali principe,
honorificam reportasset victoriam:

Ad

Sublimia aeternarum mentium collegia,
Ad ea, quae nos quoque manent, si credimus, gaudia,
Ad veram patriam, Angelorum delicias ac tripudia,
Novus aeternae sapientiae CANDIDATUS
Evocabatur.

Valde igitur à vera rationis sensu elabatur,
Quisquis ex opinione solà & schemate aulico,
Aliunde

Quàm à coelestibus auspicijs arcessit
Nervos fatorum ac casus insigniores,
Casuum rationes & adfixos exitus,
Mortium arbitria & rerum Lineas.

Hujus tumuli quidem incola,
Cum rapidi fluminis cursu & Euriporum astu,
Cum vi frigoris & brumae vehementiâ,
Cum aquilone & circumstantibus glacierum fragmentis,
In qua ex fato inciderat,

Luctando,

Prima mortis contraxit principia.
Sed habet hoc vita omnis mortalium,

B

Us

Ut

Propter incerta casuum ac fallaces spes,
Propter fragilitatem corporis ejusq; vicissitudines,
Propter ludibria rerum, quæ ubiq; obversantur,
Semper sit fato propior.

Verùm nihil est, subitòne aliquis, lentè, molestè ve moriatur;
Illud refert, ut benè, meditatio, aternitatis avidus abeat.

Nunquam malè decesserit,

Qui conscientiam bene actorum retinet optimam,
Qui supremi Numinis dispensationi se indies submittit,
Qui precibus ardentissimis ultimum claudit actum.

Quisq; igitur spectator advenis,
Intuere hoc in exemplo, tanquam speculo,
Quàm subitò,

Inter pereuntia quævis & peritura,
Inter varios vagosq; mutationum circulos,
Inter legum vivendi artissima puncta,
Convolvimur & jactamur,

Scilicet,

Non nobilitatis magnitudo ac longa series,
Non doctrinarum splendor & vasta cognitio,
Non divitiarum cumulus & nummorum affluentia,

Prodesse possunt quidquam:

Vita namq; modum & excessus metam,
Rerum dispositionem & illius numerum,
Moria, Orbem Terrarum, & Æthera,

Divi.

*Divino omnino arbitrio regi in perpetuum,
Firmissime credit ille,
Qui ex seriâ benevolentia & fide optima,
Hac, qualia fuerint,
Amico adposuit; quo nunc privatur in aliquod tempus*
DANIEL ACHRELIUS.

Καλῶς ἐν Κυρίῳ διαστανόντας θάπτειν, καὶ εὐσεβῶς πενθεῖν, γε-
νη ἢ ἱερὰ ἐν τόποις πικίλοις παρεαῖ. Ταῦτα γὰρ αὐτοῖς ἐκόσως
εἰς σεβασμά τε καὶ ἀνάμνησιν ἀναφέρεται. Βελτίστην ἔν ἐστὶ καὶ τῆς
μνήμης νεκρῶν ἀξιώτατον, πὺς ἀρετῆς μετὰ τῆς θανάτου αὐτῶν εἰς
θεωρίαν καὶ μίμησιν προσήθεσθαι. Ὡς καὶ νεανίσκος ἔτος χρα-
πίστς τε καὶ φιλοπολυμαθεσάτης, ὁ κύριος σπαρδασῆς ΜΙΧΑΗΛ
Βραυθγέμι Βιβερρεῦς, βίον ἀνεγκλήθη καὶ εὐσεβῆ ἠγάσασθαι, καὶ σὺν πᾶσιν
ἀνθρώποις εὐλικρινῆς ἐζήσε, κατ' ὅσον αὐτῷ δυνατὸν: Τοιγαρῶν ἤρεσε τῷ
θεῷ ψυχὴν αὐτῆς πάλιν ἐκλέετ' ἰσ' αἰῶνος πονηρῆς καὶ πᾶσῶν τλαιπωριῶν
θλίψεων τε, πρὸς σε εἰς ἔρανον ὑπολαβεῖν, μήπως κακῶ πῶρα-
δαγματι ἐξαπατάται. Καίγαρ μακάριος ἐστὶ Ἰουδαίτην ἔχων χαρῶν,
ὅτι κατ' ἡμέραν πᾶσιν ἀγίοις τῆς θεῆς ἀγγέλαις συζησε, καὶ τὸν θεόν
προσώπῳ αὐτῆς δεδοξασμένῳ ἐμβλέψῃ ἀδιαλείπτως. Διόπερ τῆς γο-
νῆς αὐτῆς πᾶσιν μάλλον δεῖ χαίρειν ἢ τὴν ἀπείθειαν αὐτῆς θρηνεῖν. Καὶ
μὴ γὰρ ἔδεν πονηρὴν αὐτῆς ἀπτήσεται, ὅν ἔδεν πολυτρόπως αἰ' λύπαι τῆς
κόσμου ἐπὶ θλίψεσιν. Εἰσηλθε γὰρ νῦν εἰς τὸν λιμένα εἰρήνης καλη-
νόν, ἀνάπαυσιν λαβῶν βελτίστην. Ταῦτα, ὦ ἀνάγνωσε, ἐθέλησά σε
εἰδεῖναι. ἔρρωσο, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τῶν αἰῶνων σὺν θεῷ χαίρειν καὶ σὺ
σπαρδασον. εἰς ἀνάμνησιν τῆς κρατίστς τε καὶ πολυμαθεσάτης τῆς κυ-
ριῆς τῆς σπαρδασῆς, νυνὶ πρὸς τὸν θεόν καὶ μακαριωπάτης, ὁ φιλο-
μῆνης συμπαθείας ἔνεκεν.

Ἀυτομάτως ἔγραψον
NICOLAUS Wafman / O. Gothus.
B 2 Triste-

Triste, Vale extremum.

12
8
C Ur tristes Musas, cur mœstas cerno Camœnas?
Palladiasq; domos lugubri veste nigrantes?
Mors tua, Pieriæ soboles perdocta Minervæ,
O Patriota, bonos cunctos affligit acerbè,
Unâ qui tecum Musas coluere sagaces?
Siccine surriperis, medio sub flore juventæ,
Singultus patris, patriotarum quoq; luctus?
Exacuis, multos qui te viguisse per annos
Optassent? Eheu! dura atq; immitia fata!
Leniet ast luctum minuetq; in corde dolorem,
Noster, ut ut juvenis gelidas detrusus in undas
Occubuit; multum sat vixit, qui benè vixit.
Annos hunc multos vixisse, nec indicat ætas,
Nec spacium, nec longa dies, sed candida morum.
Canities, annisq; ipsis prudentia major.
Est sapiens, qui fluxa perosus gaudia vitæ
Innumerasq; vices rerum, brevis incola mundi
Cœlestes meditatatur opes, mortemq; propinquam
Spectat ovans, variosq; inter morbosq; luesq;
Lethum non procul esse putans, submittere vota,
Numinis obsequio didicit. Quid vivere longum,
Hic confert homini, præter sine fine labores?
Candide, sic igitur, lector, tu vive futuri
Præscius, ut moriens animam compage solutam
Corporis excelsâ cœlorum in sede reponas,
Æternùm victure Deo; qui terminus olim
Unus erit nobis, pretiumquè & meta laborum.

Quo
*Præstantissimi ac humanissimi quondam Viri-Juvenis,
Dn. MICHAELIS Brudgumski immaturum obi-
tum lamentari voluit*

ANDREAS A. PACCHALENIUS
Satag. Finno.

MEMORIÆ
VIRI JUVENIS
D. MICHAELIS Brudgumſ/
ῥῶν ἐν ἀγῶσι, amici & patriotæ
deſideratiſſimi.

Quam ſanctū votū ac religione ſincerā orientem exceperat lucem,
ἔ quam privatim inq̄ concione, quibus natus videbatur, diſ-
curſibus magnam partem Noſter rara eruditionis protraxerat; lati-
tiā pariter ac jucundā feſtīvitate, inter hilaritatem amicorum, aut
clauſerat occidentem, aut, quōd funeſtis nonnunquam diſtingvi ca-
ſibus etiam minima tempor diſcimus, ſolitā ſurgentem facie ampliū
non viderat. Sic illa cœleſtis vi ingenij ἔ ad ſumma quæq̄ nata
indoles, nec opinato malignantiū incurſu fortuna, vel dejecta con-
cidit, vel quaſſata emigravit. Haud ſenſum acerbitatis illius reci-
piat, qui adverſus omnem fortuna impetum, veram pietatem, ἔ
vita præcepta modeſtiſſima cum lacte materno ſuxerat, animumq̄, à
puero præclaris artibus, ἔ, procedentibus annorum ſpatijs, deniq̄
ijs exercitijs imbuerat, quæ hujus ſimiles tantū admittant, aci-
emq̄ ingenij, vel acutiſſimam, perſtringunt facilè aut hebetant. Scili-
cet exultans ἔ ad præclara quavis ingeniā vi ruens ingenium,
cum nature beneficio ac dotibus ſolicitudinem parentum ac expecta-
tionem primo ſtatim annis tranſveheretur. ſuā ſe magnitudine me-
ſiens, cum præſtantiffimis amulari, eoſq̄, mox in certamen depoſce-
re non verebatur. Muſicæ cum primis literarum imbiberat rudi-
mentū, ut quem ad cantus ἔ organorum Muſicorum jucunditatem
ipſa vocis invitārat ſuavitas, atq̄ ad elegantiores artes inſta pro-
penſio. Cætera, quæ judicij magis ſunt, quàm nature, ſic excolu-
it, ut animū omnium ac mentibus triſtia ſua fata, ἔ fruſtrata ſpei
indignitatem cum juſto dolore relinqueret. Non enim in majus, vel
admirationem illius, vel cordatorum quicquam auget dolorem, quàm
vaſti illius ac inexplebilis optimarum artium cupiditate ſagrans ani-

mi cogitatio; quem neutiquam sive subtilis ac paucis pervia differen-
di ars, sive abditissimorum natura recessuum indagines, vel vasta
illa, & excellentissimorum fatus ingeniorum, Mathesis, quin neq; supra
sensus omnes ac rationem posita divina oracula continere poterant;
quorum tanto ardebat fervore, ut non linguas modò & dialectos,
quibus hæc ab ipsâ veritate traduntur, perdidicerit, (quod Græcis,
hic & Wiburgi, declamatis exercitijs satis prodidit) sed & iteratis
vicibus disputationes cælestis sapientiæ, publicè & cum laude pro-
pugnaverit. Hæc tam latâ studiorum superlectile dives, exserens
etiam pluribus copiosa eruditionis indicibus, cum quibusvis majorum
apparatum occasione sufficiens, tanquam in manum cum virtute
convenisset, invidiâ fortuna, quam sibi in utrâq; parte rerum ad-
versam habuit, susceptorum votorum consummatione defectus; Ut,
quod remissioni animi, non nisi ad collectionem absumentarum nimiam
contentione virium (idq; adeò quàm parcè) concederet, hoc illa
in occasionem malignitatis suæ arripuerit. Iterum pie hisce precipitijs
omnibus persunctus, in tam arcto salutis exitijs, confinio, non sibi
sed penitus servatori suo innixus, ab ipsâ clade robor fortitudi-
nemq; desumpsit; Unde de molestijs, umbris ac syrtibus, extra fortua-
nam & invidiam, in ipso sinu aternitatis nunc perpetuò triumphat.

In communi luctu hæc apposuit.
ANDREAS M. IGNATIUS.

DEploranda fors mortalium, luctu suspirijsq; sau-
cij cordis ab imo ductis testificanda! Non atten-
do jam communem nascendi & vitam hanc, varijs
obnoxiam casibus, exigendi legem: quippe ploratu
primùm ut excepimus diem, cum mærore & soli-
citudinibus pariter producimus ævum; quod non æ-
vum, sed aura, fumus, umbra, nihil. Morimur ceu
avolando

avolando, nullâq; non die mortis præda esse possu-
m^o. Illud maximè ciet lacrimas, quod perinde si im-
piè vitam duxisset, immitia fata pium sæpe mise-
rabili, ut nobis videtur, genere mortis occupant.
Gemebundum ista cogitatio subit animum, dum
svavissimi olim sodalis, Dn. MICHAELIS Breutigams/
præmaturum juxtaq; acerbissimum funus intueor.
Ille in hanc lucem editus, unicus parentibus filius,
jam à teneris ungviculis magnam illustrandæ o-
lim familiæ suæ spem, cum vigore mentis, jam
tum emicante, tum industriâ progressu ætatis, ut
& eruditione antevertente annos, fecit. Suspici-
ebant, quotquot ipsum noverunt, præclaræ incre-
menta indolis, cum æquales antegressus, & in lin-
guis, & in scientijs tanta confecit spâtia, quantis
vix longior ætas & suppellex comparandæ doctri-
næ amplior sufficere videbatur emetiendis. Vir-
tutem ille totâ virâ cum studio eruditionis ita con-
juxit, ut hæc duo in ipso amicissimè conspirarent.
At decurso jam ferè proposito studiorum stadio,
fructus eorundem cultoribus cedere solitos perce-
pturo in reliquâ deinceps vita, crudeles eheu! su-
pra nomen Parcæ inopinato casu vitæ filum abrus-
père; parentibus & amicis frustrantes conceptam
spem, patriæ civem utilem præripientes. Fata si
sub mortalium arbitrio absolverent ordinem, accu-
sarentur jure ab ijs, qui eorum lege premuntur.

At quia divinâ mente reguntur, sapientiâ falli nesciâ,
ideoq; illa mirari quidem, non rimari decet. Quin
felicissimi Deoq; Charissimi existimandi sunt, qui ci-
tò jussu illius imperatoris ex vitæ hujus statione de-
cedunt. Præmia, quæ mortalis hæc conditio pro
meritis denegavit, in statu gloriæ labores hic ex-
antlatos larga manent. Ter igitur quaterq; bea-
tum prædica, Viator, hunc piè demortuum, qui
terris evocatus, cælo redditus, mortalium excedens
commercio, in Angelorum consortium adscitus
est, ubi nectare & ambrosiâ æternum pascetur. Et
nec corpori mors vitam in perpetuum eripuit, sed
aliquantisper intermisit: Veniet iterum, qui illud
in lucem reponet, dies.

*Cum sincero & suavissimo quondam sodali con-
versationem recolens, festinus apposuit*

PAULUS HEINTZIUS.

*Ferre solet graviter succensam nemo lucernam,
Omnes orbatam pulchrâ sed luce dolere:
Haud aliter nostri Brudgum's festivior ortus
Lætitiâ largè genitorum corda rigabat
Anxias, nunc obitus festinâ valde doloris
Myrrhâ perfundit mentes; id nec sine causâ.
Spes etenim senj matrisq; patrisq; molesti
Hic noster nituit, juvenum ceu flos ruber hortâ,
Quem pallens letibum ferro percussit acuto,*

*Heu durus est tenor fati quid non licet isti?
O vivum specimen studiosa flosq; cohortis!
Ingenij nequirit vis concita sistere fata,
Non studium Sophiæ, candor, cultura decoris,
Non florens ætas, animi vigor aut pia vita.
Usque suas, mors atra in leges devocat omnes.
Iliacas legimus Trojæ dixisse ruinam,
Usq; fuisse levem, cui contigit arte renasci:
Cur igitur Braudgums obitus mage nos cruciatur
Agni conspectu fruitur quia liber ab omni
Cura, sperando messem sine fine beatam.*

Officio debitæ pietatis, memoriæ defuncti
tantillum occupatus apposuit
OLAUS SAM. KROGERUS

*In præmaturum & inopinatum Præstantis
tissimi quondam ac Humanissimi
Dn. MICHAELIS BREUTIGAMS
obitum, & ætatis Invenit.*

*Quisquis agis vitam, vitæ memor esto futuræ!
Quo minimè credis tempore, finis erit.
Mors nulli parcit; magno licet effugis orbe,
Est acies ejus suscipienda Semel,
Non annis parcit vernantibus aut recidivis,
Sed vitæ vegetas livida truncat opes.
Est ratio præsto: nobis nam tempore duro
Ingenuum juvenem fata tulisse ferunt.*

C

Fata

Fata tulisse ferunt; qui spes Patris unica vixit,
Magnaq; spes matris, Sola columna domus;
In quo, ceu speculo, fulgor renitebat amænus
Eusebiæ & Sophiæ, magnaq; dexteritas,
Ore decens, bonus ingenio, facundus, & omni
Dexter in arte, Sacrà præcipuusq; fide.
O Lachesis, Lachesis, cur sic contemnis honores!
Falce tuâ sectus *Breutigam*/ ecce, jacet!
Conquerimur mæsti, Patriotam nuper ademtum,
Et mentes turbant tristia fata graves.
Huic ævi brevitæ tamen nil laudis ademtam:
Indole maturus, funere acerbus obit.
Vos Pater & mater, vos, inquam, sistite luctus!
Nam Deus ut voluit, vos voluisse par est.
En! vivit felix cælos præmissus in altos,
Quem nobis clarum reddet amica dies.

Non tam moris, quàm amoris E. lamentabatur festinus

ANDREAS MOLANDER
Savolaxiâ Wib.

Præceptoris quondam mei, nunc in Christo
defuncti, honoratissimis Parentibus,

*Quoties in memoriam revocor, illo me destitutum
Manuductore, viam qui mihi præmonstrabat, quam
ipse cernebat compendiosissimam, facere non possum, quin
crebras, haud secus ac par est, lacrymas profundam: Ut
proinde nec alios consolari possim qui ipse videar aliorum
conso-*

consolatione sublevandus. Quae tamen mihi in mentem
venere, non quidem magni momenti, solatia, ad mitigandos
acerbissimos vestros dolores o parentes subministrabo, non
quod vestrae diffidam prudentiae, sed quia forte ob animum
moerore affectum, vobis minus sint obvia. Nimio quippe,
vel gaudio, vel dolore praepeditis, non ita facile,
quid faciendum sit, occurrit. Quid autem est, quod tanta
vos oppleatis aegrimonia, propter hanc novercantes
fortune vim, quae unicum vestrum optima spei filium
vobis eripuit; quem summo semper amore ac ^{sepe} cum-
primis complexi! Tristitia sane ista in mente vestra a-
stans nihil proficit, quae vires potius debelitat atq; ener-
vat, ossa exsiccat, penitus seniumq; promovet ante tempus.
quaeso, mentis oculorumq; aciem, ad ea calamitatum agmina
advertite quaeso, quibus humanum genus in ultima hac mun-
di senectia arctatum est: Quae aqua pendens lance ^{et} ^{de} ^{de}
^{videtur} lamentabili voce edens beatus Augustinus: Plena
haec est vita dolore praeteritorum, labore praesentium, timo-
re futurorum. Ex quibus haud ambiguae certitudinis gno-
ma frequentatur nullum in universo hoc homine vivere
miserius animal eorum, quae ^{et} in aere spirant, ^{et} super
terram gradiuntur. Homo quippe undiq; in undoso hoc
arumnarum pelago, ab ipsis incunabulis usq; ad extremum
vitae halitum curis obruitur, doloribus premitur. Nihil
igitur gravius deteriusve cum ijs actum putemus, qui hoc pra-
sertim tempestate beate e vita descesserunt, quasiq; fu-

ga cervicibus nostris imminentes calamitates declinarunt.
Quamobrem quæ res sit, propter quam filium vestrum
desideratissimum reviviscere optaretis, dicere parum non
est: namq; ex hac vita si non nunc migrasset, paucis ta-
men post annis fieri idem debuisset, natus enim homo erat.
Nec etiam unquam tam validum est φάρμακον, quod letha-
lem hanc πάλαιωσαν superare valet prorsusq; tollere
juxta illud: Contra vim mortis non crescit gramen in bor-
tis. Spectate, obsecro, quot urbes, quot adificia, suo tem-
pore ad summum splendorem erecta, jam solo æquata ac
penitus eversa, nil nisi rudera reliquerent. Proinde quid
mirum hominem citò extingui, avi qui longè brevioris
est? Caterum nihil fortè magis in votis haberetis, quam
huic vestro beatæ memoriæ filio copia fuisse in Augusto hoc
Musarum sacrario artibus adhuc ingenuis operam navare
donec meritos ad honores scanderet. Quippe virtutis ubi
animus grassatur viâ, pollens potensq; & clarus est. At
fluxa sunt illa omnia, utpote sublunaria & caduca. Nunc
non amplius in mundana aliqua floret Academia, sed su-
pra cœlesti & transmundana ubi ἀρετή audit cœlestes con-
sequitur honores, ac Deo fruitur. Desinite ergo desere
eum, quem pro fragilibus aeterna, pro moerore gaudium
accepisse perpetuum credimus. Hanc in sententiam scribe-
rim plura, nisi vererer, nè de vestrà dubitare viderer pru-
dentiâ. Quare unicum saltem si adyicio, scribendi finem
faciam. Prosperam moderate ferre fortunam soliti sem-
per

per ceteris, facile ergo moestitiam quam adfert adversa fortuna, superabitis expectantes illam temporis diuturnitate dilui, quam solam vobis ex omnibus vestris deesse virtutibus, non spero.

Talem *Ἐπιμειν*, animo scripsit
congementi,

ARVIDUS REUTHER

S. R. Maj. Alumnus.

Ut pisces hamo subito capiuntur in undis;
Sic quoque nos homines tristia fata vocant.
Exemplo est Brudgum/ musarum docta propago,
Spes Patriæ magna, & Sympatriota pius;
Qui vix ætatis novies ter viderat annos,
Cum vitæ rupit flamina Parca ferox.
Ah! quantos luctus Patri Matriquæ reliquit,
Et cunctis nobis, cælica regna petens!
Par tamen à lacrumis tandem desistere acerbis;
Nam fruitur superum nectare & ambrosiâ.

Luctus contestandi gratiâ, hæc paucula subjunxit

HENRICUS M. WINTERUS.

Nescia mens hominum Fati, sortisq; Futura,
Et servare modum, rebus sublata secundis:
Lilia ut apprimè verno quoq; tempore florent,
Aspectusq; hominum non solum floribus implent,
Ipsis sed fructus meliores insuper addunt.
Hæc tamen celeri caduntur falce caduntq;
Et sua nec semper pertingunt tempora justa,
Nec durant, quorum loca vix post inveniuntur.
Tu Michael, poteras Fatis superesse superbes

Deniq;

Deniq; demigrans terris & ad aethera scandens.
Quod vixisti breviter, compensat vita futura:
Panditur, ecce, tibi domus omnipotentis olympi.
Et Pater aetherius divumq; aeterna potestas!
Felices tandem sancti & sine fine beati,
Abrepti autumnus gaudentes gaudia Christi!
Tu Braudgami pariter nunc secula per omnia gaudes,
Hic quamcumq; viam dederat fortuna, secutus.
Omnibus est adeunda semel mors, hanc feremus
Fortunamq; omnes: Rex iuppiter omnibus idem;
Quem laudare decet nunc atq; per omnia secula.

hæc simpliciter scripsit in memoriam
sui defuncti popularis.

JACOBUS Schmit

AD DEFUNCTUM

Perbreve tempus, Beatissime Sympatriota, tuâ
mihi conversatione uti licuit; quamdiu autem
licuit, vividum in te ingenium, doctrinam præ-
stantem, virtutemq; præclaram comperiebam,
Quæ identidem animo recogitans admiror, tan-
tam paucis annis in hâc Academiâ te tui famam
reliquisse ut omnes profectum in studiis & mores
egregios prædicare nôrint. Opraremus diutius
mihi & aliis tuo exemplo prævisses, & ad ele-
ganter honesteq; sectandum studia inflammasses!
Sed invidebant nobis istam felicitatem imitia fa-
ta, nè te diutius frui concederetur. Discessisti è

vita

vitâ sanè maturus iudicio, & doctrinâ optimè paratus: quibus patriæ prodesse superstes potuisses. Tibi tuisq; Abreptus in ætatis virore, nec in terris inveniris; imò in cœlum & æterna gaudia rapus ineffabili lætitiâ perfunderis perfruerisq;. Nemo proinde hanc felicitatem tibi invidet, quin potius ad eandem sedes beatas aspirent animarum.

*In communi sympatriotarum
luctu, subito scripsit*

ARON ROSELIUS

Epicidium memoria vñ ev a7hois

MICHAELIS Brudgumſ / Artium liberalium

Cultoris strenui, nec non amici & Conterranei
perdilecti; condolentiæ E.

Oploranda hominum fors! O immitia fata!
Quam subito vitæ solvere vincla queunt!
Hic equidem vasto nil est durable in orbe,
Perpetuum possit quod retinere Statum:
Fluxa cadunt quævis, nigro lethoq; recedunt,
Ut flos dulcè virens concidit ictus agris,
Sic homo demoritur, vanæq; simillimæ umbræ
Aufugit, ac auras solvitur in tenues.
Cunctis hæcce probant Brudgumſ crudelia fata,
Extincti nuper conspicui juvenis.
Heu dolor! en fletus quis jam tenis atq; sororum!
Turbati matris sunt oculiq; Patris.
At quid flere juvat, lacrymasq; effundere acerbas?
Quem rapuere semel, tristia fata ferunt.

Cum

Cum placuit superis, nobis placuisse necesse est
Fata isthæc grato suscipienda animo,
In Cælis vivit, moritur nec amplius unquam,
Æterna & vitæ gaudia mille capit.

Positum,

ab

ADOLPHO MENSCHEVER

Wiburg:

*Cum doleo, patriota, tibi tum, gratulor illum,
Fortunam, a nobis subito quâ raptus abibas,
Illa manet, Frater te nunc sine sine Corona,
Quâ mundi victor mortem infernumq; Triumphas!
Unde tibi veniunt caelestia gaudia, quando
Jungaris Angelicisq; choris, gentiq; fideli:
Cum quibus aeternum caelesti in sede licebit
Æternosq; agni tibi decantare triumphos.*

In honorem & recordationem per-
ennem sui Conterranei piè bea-
teq; huic miseriarum valli Aboæ
nuper valedicentis, hæcce pauca
Iugens scripsit

CAROLUS GUDRATH.

Wiburg: